



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Examen Confessariorum Repetitum**

**Schoonaerts, Gregor**

**Coloniæ Agrippinæ**

**VD18 14542323-001**

Caput II. De Testamentis &c.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41226**



## CAPUT II.

## De Testamentis &amp;c.

## §. 1. Quid, &amp; quotuplex ultima Voluntas.

ULTIMA voluntas est voluntatis nostræ iusta sententia de eo, quod quis vult post mortem suam fieri. Communiter recensentur hæ quasi species, scilicet Testamentum, Codicillus, Legatum, Fidei-commissum, & Donatio mortis causâ.

Testamentum est, voluntatis nostræ sententia, quâ Heres immediatè instituitur, directè quidem, & ex propriâ talis dispositionis naturâ, non autem ex privilegio: quod ultimum addo, ut excludatur Codicillus militis, quo ex speciali privilegio potest directè hæres institui, ut patet ex lege 36. Militis. ff. de testamento militati l. 29. tit. 1.

Testamentum solemne requirit septem testes rogatos, masculos, puberes, & subscribentes.

Excipitur 1. testamentum militare, 2. Ruribus vel coram Principe factum. 3. Testamentum inter liberos, ad quod solùm requiruntur duo testes, possuntque esse femine, nec debent esse rogati, aut subscribere.

Codicillus est, ultimæ voluntatis dispositio, quâ circa testamentum aliquid explicatur, demitur, additur, aut aliter immutatur absque hæredis institutione. Requirit quinque testes non necessariò rogatos, inter quos possunt etiam esse mulieres.

Fidei-commissum est, ultima voluntatis dispositio,



sicio, quâ testator sui heredis fidei aliquid committit tradendum alteri. Numerus legitimus testium fidei-commisssi quinariis.

Legatum est, ultima voluntatis dispositio, quâ testator ex eo, quod universim heredis foret, aliquid alteri directis verbis confert.

§. 2. *Expenduntur cætera ad hanc materiam spectantia.*

P. 1. **A**N testamentum ad pias causas valeat independenter à solemnitatibus jurè civili requisitis?

R. Aff. & constat ex Cap. *Relatum* 1. ubi Alexander III. ita scribit: *Relatum est, quòd cum ad vestrum examen super relictis Ecclesie causa deducitur, vos, nisi septem, vel quinque idonei testes intervenerint, inde postponitis judicare, &c. mandamus, quatenus cum aliqua causa talis ad vestrum fuerit examen deducta, eam non secundum Leges, sed secundum Decretorum statuta tractetis tribus, vel duobus legitimis testibus requisitis, quoniam scriptum est: in ore duorum, vel trium testium stat omne verbum.*

Ut valeant Testamenta, Codicilli &c. in foro conscientie, non requiruntur duo, tresvè testes, sed tantum ut valeant in foro externo: hinc si ponantur omnia, quæ jus nature postulat, licet nullus adsit testis, testamenta ad pias causas sunt in foro conscientie valida.

2. An testamenta solemnitatibus destituta valeant ad causas profanas?

R.



R. Utraque sententia valdè probabilis est: magis placuit Magistris nostris Petro Aragonio, & Michaëli Salonio sententia negans hâc ratione motis, talia testamenta & indubiè possunt per leges irritari ob periculum fraudis, de facto absolutè irritantur, ut constat ex §. 7. instit. Quibus modis testamenta infirmentur, lib. 2. tit. 17. ubi dicitur: *Imperfectum testamentum sinè dubio nullum est.* Et clariùs lege 12. *Si unus.* Codice de Testamentis. *Si unus de septem testibus defuerit, vel coram testatore omnes eodem loco suo, vel alieno annulo non signaverint, jure deficit testamentum.* Igitur sicut matrimonia clandestina, & donationes pupillorum sinè consensu tutorum factæ nulla sunt, & in foro conscientix robore carent, ita testamenta solemnitatibus juris destituta.

3. An hæres in conscientia teneatur tradere fidei-commissum, antequàm fateatur, sibi esse à testatore impositum?

R. Aff. Quia solemnitas testium non requiritur ad valorem talis fidei-commisssi; idem est de legato; sed in foro conscientix sufficit voluntas testatoris sufficienter manifestata hæredi, siquidem instit. *De fidei commissariis hereditatibus* lib. 2. tit. 23. §. ultimo Hæres dicitur *Perfidiâ tentus*, si interrogatus de voluntate testatoris eam negat.

4. An ultima voluntas defuncti possit ab alio mutari?

R. Hoc non posse fieri sinè justa causa: potest



tamen ex causa legitima, V. G. si ultima voluntas non possit impleri eo modo, quo voluit testator, modò fiat autoritate publica; à Magistratu quidem quoad ultimas voluntates ad causas profanas: si verò ad causas pias, ab Ecclesiâ.

5. Qui possint esse testamentorum, & legatorum executores?

R. Omnes illi, qui jure non prohibentur, & omnes à jure non impediti testari possunt. Hinc femina potest esse executrix testamenti defuncti mariti: quod munus etiam durat, postquam ad secundas nuptias transvolavit; quandoquidem nullum jus potestatem ipsi adimat. Hujus officii capaces sunt minores, modò 17. ætatis annum compleverint, quia nec jure prohibentur, nec ætate. Similiter institui possunt testamentarii Sacerdotes, & Clerici sæculares, ob receptam ubique praxim. Religiosi testamenta exequi non possunt sinè Superioris licentia. Imò nec possunt cum Superioris licentia Fratres minores de observantia, ut constat ex Clem. *Exivi.*

6. Quis dicitur hæres ab intestato?

R. Ille, qui de jure succedit in bona defuncti, etiamsi nullum factum sit testamentum: censetur autem aliquis mori ab intestato, quando testamentum non condidit, vel si condiderat, nullum est ex aliquo defectu, V. G. quia revocatum &c.

CA-